DISSERTATIO
MEDICA INAUGURALIS
DE
ANGINA IN GENERE,
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,
PETRI JOSEPHI DE RYCKERE,
Juris Utriusque Doct. et in Fac. Jurid. Prof. Ord.,
NEC NON
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,
PRO GRADU DOCTORATÛS,
Summisque in Medicinâ honoribus ac privilegiis,
IN ACADEMIA GANDAVENSI
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
PUBLICE DEFENDET

LEONARDUS ANT. DE MAN, Medioburgensis,

Die X. Januarii 1824, horâ undecimâ.

Gandavi, apud MAX. ANT. MAHNE, Bibliopolam.
1824.

Non fingendum aut excogitandum, sed inveniendum, quid Natura faciat aut ferat.

BACO.

PIIS MANIBUS

OPTIMI PATRIS,

MATRI AMANTISSIMÆ,

FRATRI ATQUE SORORI DILECTISSIMIS,

PRÆCEPTORIBUS ÆSTIMATISSIMIS,

NEC NON

AMICIS,

SACRUM

Vult Auctor

DE MAN.

Ex decreto Facultatis, 2 Martii 1818, opiniones in Dissertationibus propositæ illarum auctoribus propriæ sunt, et a Facultate Medica nec approbatæ nec improbatæ sunt habendæ.

DE ANGINA IN GENERE.

Sub nomine Anginæ (1) intelligimus morbos omnes inflammatorios, vel alia natura diversos partium mollium, quæ deglutitionis et respirationis mechanismo inserviunt, atque ita ab ipsis faucibus ad Oesophagi originem, nec non Asperæ Arteriæ bifurcationem sese extendunt.

Cum situ, connexione atque functione partes hæ admodum varient, ita quoque morbi inflammatorii, præsertim ad istam classem referendi, admodum inter sese non naturâ, vero formâ differunt.

Omnia attamen ad hunc morbum pertinentia symptomata pathognomonica ad sequentes reduci possunt classes (2):

1.° Ad respirandi atque deglutiendi difficultatem.

2.° Ad ruborem et tumorem partium internarum vel externarum faucium, quoad in sensus cadit hoc symptoma, dum morbus non nimis profunde collocatus est.

3.° Ad vocem mutatam.

4.° Ad secretionem salivæ et muci oris, pharyngis, laryngis aut Asperæ Arteriæ auctam vel imminutam.

Præter illa ad inflammationem partium respirationi atque deglutitioni inservientium adhuc alia quædam memorabilia in conspectum veniunt symptomata, læsiones scilicet sympathicæ et mechanicæ. Ad priores irritatio spectat vascularis systematis, unde Febris (3) cum suis omnibus functionum læsionibus, quandoque, ut memorant *Cullen* (4) *Hu-*

---

(1) *Angina* a Latino verbo *Angere*, Græce κυνάγχη, a voce κύων *canis* et verbo ἄγχειν *strangulare*.

(2) *Hufeland* System. der practischen Heilkunde, Tom. 2. pag. 200.

(3) Febris continua, remittens aut intermittens eſse potest.

(4) Elémens de médecine pratique, Tom. I. pag. 241.

feland (1) et alii, spastica glottidis constrictio, unde summa anxietas, respiratio anhelosa, syncopa etc.

Ad posteriores pertinent circulationis turbæ in cerebro (2) et in pulmonibus. Alterum horum phænomenorum a compressione oritur mechanica vasorum carotidum atque jugularium: accumulatur exinde sanguis in capite, distenduntur vasa, comprimitur intellectus organum, unde tumor labiorum, linguæ et vultûs, venæ jugularis et raninæ varicosæ, (3) livor faciei, gravedo, somnolentia, dolor capitis, oculi prominentes, auditus gravis (4), visûs tactûsque hebetudo, delirium, sopor, apoplexiæ, etc.

Alterum phænomenon ad sanguinis circulationem impeditam in pulmonibus spectat. Hæmatosis imperfecte peragitur, cum minor sit quantitas aëris illati illis in organis ob imminutum lumen partium, illud fluidum transmittentium, pulmones non ad capacitatem naturalem extenduntur, turget sic totum venosum systema et exinde explicantur. Pulsûs et respirationis quam plurimæ abnormitates in Anginâ obviæ.

ÆTIOLOGIA.

Dividi possunt causæ Anginæ in idiopathicas et in sympathicas (5).

A. Idiopathicæ sunt, quæ in membrana mucosa vias deglutitionis aut respirationis obducente sedem habent: contactus alicujus corporis irritantis, ut sunt: inspiratio aëris frigidi, equitatio vento adverso, usus potuum gelidiorum, præcipue æstuante corpore, alimentorum stimulantium, substantiarum venenatarum aliarumve acrium, porro vociferatio, tubarum inflatio, cantus, declamatio, vaporis irritantis inspiratio etc.

B. Subita transpirationis suppressio, pedum, colli refrigeratio (6):

---

(1) System der practischen Heilkunde, Tom. II. pag. 201.

(2) *Boerhave* de cognoscendis et curandis morbis, pag. 206.

(3) Idem.

(4) Aliquando oboritur surditas, dum inflammatio membranæ mucosæ tubi Eustachiani communicatur.

(5) *Quarin*, editionem curavit prof. Kesteloot, Gandavi 1820.

(6) *Van Rotterdam*, in suis prælectionibus Academicis.

Plethora; suppressio alicujus evacuationis, sive mucosæ, sanguineæ, aut purulentæ: morbi cutis, ut eruptio scarlatinosa, variolosa, erysipelatosa, miliaris, herpetica, psorica (1) etc. Morbi pulmonum, ut phthisis, morbi partium genitalium (2). Abusus mercurialium (3) saburræ gastricæ biliosæ; varicum suppressio (4).

Sunt et quoque sporadicæ vel epidemicæ anginarum causæ (5): ita v. gr. juvenes sanguinei collum nimis constringentes (6) frequenter Anginâ laborant.

Anginæ parotideæ magis obnoxios esse mares, quam feminas, asserunt Quarin et Buchner (7). Nonnullis quoque dispositio peculiaris ad hunc morbum propria est, ut omni fere anno eodem afficiantur.

Ut plurimum epidemice grassantur Anginæ, dum nebulosa et frigida est atmosphæra, maxime temporibus æquinoctialibus: quandoque ut causam agnoscit iste morbus contagium; et tunc maxime grassatur tempore calamitatum, annonæ caritatis, belli etc.

DIVISIO MORBI.

ANGINA DIVIDITUR RATIONE SEDIS INFLAMMATIONIS

In Tonsillo-Uvularem.
Glossitideam.
Pharyngeam.
Laryngeo-Trachealem.
Parotideam.

Vocatur *Angina Tonsillo-uvularis*, dum inflammatio occupat uvulæ,

(1) *Starck*, Handbuch sur Kentnis und Heilung eines. etc. Tom. I. pag. 144.
(2) Dictionnaire abrégé des sciences médicales, pag. 468, art. Angine.
(3) *Buchner*, geneeskundig handboek etc., pag. 232 eerste stuk, tweede deel.
(4) *Starck*, a suppressione varicum in facie vidit acutissimam anginam.
(5) *Quarin*, opus cit. pag. 151.
(6) Idem, op. cit. pag. 218.
(7) *Buchner*.

et tonsillarum constituentes partes (1). Morbus hic ordinarie inchoat cum sensatione siccitatis atque titillationis in ore (2); propensitate ad deglutiendum; horror datur, cui brevi succedit calor, spatio ingenti quatuor horarum, faucium internæ partes rubere incipiunt, atque tumere. Dolor harum partium ingravescit; magis magisque deglutitio evadit molesta; rubor et tumor in alterutrâ vel in utrâque tonsillâ increscunt: sæpe a minimâ faucium irritatione oritur tussis; respiratio fit difficilis, ut solum sæpe per nares flari possit; quandoque adest surditas (3): accedit aliquando gravedo capitis; sopor, si gravis sit inflammatio; isthmus faucium occluditur quandoque totaliter, ut materies deglutienda ob angustias et magnos dolores per os redeat; saliva fluit ex ore; dolor non raro per tubum Eustachianum in aurem protenditur (4). Usque ad septimam aut ad decimam quartam diem status ille ordinarie perdurat; dum scilicet morbus relinquitur naturæ. Tunc, si levis fuerit, simplici resolutione terminatur: sin vero gravior affectio fauces occupaverit, ordinarie in suppurationem abit. Factâ suppuratione, pus vel subito et in magnâ copiâ in unicâ vice, vel lente et muco oris permixtus, evacuatur: quandoque morbus metastases in cerebro, pulmonibus, visceribusque abdominalibus efformat: quandoque induratione terminatur. Numquam tamen, ni sit malignus, contagiosus (5).

Si *Glossitidea* est Angina, vox et deglutitio valdopere impediuntur; salivæ secretio admodum intenditur; respiratio aliquando valde læditur, ut non raro suffocationem minetur; lingua rubra, livida est, et fervida febrisque concomitans valde acuta (6) summa datur anxietas; oculi sunt lacrymantes, facies est ordinarie pallida, quandoque rubra. Morbus ut plurimum non ultra septem dies perdurat, dum resolutione terminatur: non raro in suppurationem aut in indurationem abit; fere numquam in gangrænam (7).

---

(1) *Cullen*, opus cit. Tom. I. pag. 231.
(2) *Buchner*, opus cit. pag. 228.
(3) Idem, pag. 228.
(4) *Buchan*, médecine domestique, Tom. 2 pag. 144.
(5) *Cullen*, opus cit. pag. 132.
(6) *Buchner*, op. cit. pag. 198.
(7) Idem, pag. 201.

Quum pharynx inflammatur, dicitur *Angina pharyngea*. In isto morbo deglutitio admodum læditur; quandoque est totaliter impedita; ita ut deglutienda redeant, aut in laryngem aut per nares repulsa, tussim violentam excitent. Raro hæc Anginæ species in suppurationem, frequenter vero in indurationem transire solet.

Angina laryngea trachealis est inflammatio tracheæ arteriæ et laryngis, cujus duplex est species, 1° adultorum, 2° infantum (1).

In priore specie, ab exordio respiratio est difficilis, vox acuta, clangosa expectoratio (2); deglutitio dolorifica; vox rauca est, tussis, pulsus parvus, debilis; summa anxietas, et agitatio.

In posteriore, a primo momento invasionis morbi levis aut gravis catharri symptomata adsunt: præludere solent coryza, tussis, levis dolor faucium, pulsus concitati et exiles, tristitia, oculi lacrymantes, calor solito major: elapsis vero duobus, tribusve diebus, febris intenditur, vox fit acuta, stridula, clangosa cantui pulli gallinacei similis; respiratio evadit difficilis, sibilosa; expectoratio ab initio morbi apparet nulla, et mox viscida, limpida animadvertitur: et tandem concreta, opaca, membranacea aut albuminosa emittuntur sputa; cum strangulationis metu summâque anxietate et agitatione, facie palente, caput in cervicem retroversum veluti trahitur; dum tamen deglutitio plus minusve libera manet, et intellectus normalis. Morbus intra quatriduum, quintiduumve ordinarie finitur: raro resolvitur; ægrotulos ut plurimum repentine suffocat, (3) plerumque epidemicus est.

Ab aliis speciebus Anginæ inflammatoriæ distinguitur laryngeo trachealis, ex eo quod præcipua morbi signa spectent ad respirationem læsam, et non ad deglutitionem impeditam.

Trachealis Angina infantum differt ab illâ adultorum. 1° Ex eo quod symptomata multo sunt graviora, et citius morbus curriculum absolvat: 2° quod in ipsâ asperâ arteriâ a larynge membrana nova formetur, quæ, occludendo tubum illum, infantes suffocat.

---

(1) *Crowp*, cynanche stridula, suffocativa, Angina polyposa, cynanche trachealis humida, vide *Home*, *Michaëlis*, *Cullen*. Dictionnaire des sciences médicales. Art. Angine, pag. 126.

(2) *Capuron*, elementa Medicinæ, pag. 153.

(3) Idem, pag. 156.

Vocatur *Angina Parotidea* inflammatio glandulæ parotideæ. Morbus ordinarie cum horrore et defatigatione orditur; tumor et dolor occupant angulum maxillæ inferioris: ut plurimum ad glandulam parotideam, raro ad submaxillarem extenduntur. Febris accedens per quatriduum ordinarie moratur; sæpe epidemicus est morbus; non raro contagiosus; sæpeque cum morbus adynamicis junctus; quandoque in suppurationem abit; non raro in indurationem; ut plurimum quoque resolvitur, et aliquando metastases efficit, apud feminas in mammis, ad testiculos in maribus.

DIVIDITUR ANGINA RATIONE DYNAMICA

In Simplicem inflammatoriam.
Malignam, gangrænosam, adynamicam, ataxicam.

Quid de Angina simplici inflammatoria dicendum, jamjam ex præcedentibus patet.

Nisi sit maligna, raro Angina in gangrænam tendit; maligna vero fere semper; epidemice ut plurimum species hæc grassatur, et in febribus scarlatinosis, typhoideis, adynamicis specialiter observatur.

Acutissimus est morbus, et cum omnibus malignitatis signis orditur; adsunt nausea, vomitus, cervicis rigor, cephalalgia, summa virium prostratio, pyrexia, monente Culleno, valida quandoque, aliis in casibus, pulsus exilis depressi celeres deprehenditur. Hisce phænomenis accedunt difficultas respirandi atque deglutiendi, minor tamen quam in Angina simplici inflammatoria. Fauces si inspiciantur, obscure rubent, aut colore sunt roseo, præcipue versus amygdalas; pallida aliquando margine circumdatæ.

Ratione gravitatis symptomatum: tumor ac dolor minus validi animadvertuntur: dum advesperascit, morbus, calor, agitatio, prostratio augentur, et ad matutinum tempus usque perseverant: vox ordinarie rauca et clangosa evadit, mane aliquando datur sudor, quo symptomata mitescere videntur. Si morbus characterem refert scarlatinosum, tertiâ aut quartâ die evolutionis morbi, accedunt maculæ cutaneæ rubræ, morbillos referentes, aut cervicis, pectoris, faciei, manuum aliarumque partium

late extensus tumor erysipelatosus; non raro et durities glandulæ parotideæ et cervicis œdematosus tumor augentur; illo morbi stadio pectoris angores; debilitas indies increscit. Unâ cum pectoris strangulatione circa noctem delirium, loquacitas, stupor, coma: mane sudor colliquans; non raro oboritur diarrhæa fœtida; ut plurimum ante septimum diem mors sæpe scenam claudit (1).

Omnes deglutitionis atque respirationis partes diro illo morbo affici posse, Dissectiones cadaverum probavêre.

Gangrænosa Angina multum a communi differt:

Posterior enim infantes et mulieres afficit; gangrænosa vero adultos, robustosque viros, et horrore, nauseâ, vomitu, diarrhæâ stipatur, prælude acuto capitis dolore. Mox superveniunt oris interni rubor, ulceratio, crusta, erysipelatosus vultus; cervicis, thoracis, manuumque calor, universi corporis affectio. Angina vera inflammatoria localis est, et resolutione, suppuratione, aut induratione finitur: maligna Angina solet ad gangrænam vergere.

DIVIDITUR MORBUS RATIONE EXITUS

In Anginam suppuratoriam;
——— *Scirrhosam;*
——— *Membranaceam;*
——— *Chronicam;*

Inflammatio neglecta, aut ex naturâ nimis intensa, diutius sæviens, horripilationibus vagis accedentibus, abit in suppurationem: quæ erit, *Angina suppuratoria.* Pertinet præcipue ad tonsillarem, nosciturque hiante ore, tumore plus minusve magno conoïdeo in faucibus conspicuo.

Anginam Scirrhosam adesse dicimus, dum tumor durus, indolens, glandulosus, ab inflammatione pharyngis, tonsillarum, aut glandulæ porotideæ proveniens, impedimentum ponit deglutiendis præcipue solidis,

---

(1) Vide *Huxham*, Tom. III, pag. 122. — *Cullen*, opus cit. Tom. I., pag. 223. — *Buchan*, opus cit. Tom. II, pag. 381. — *Starck*, opus cit. Tom. I, pag. 146. — *Rozenstein*, *Pringle*, *Marteau*, *Williemy*, *Chambon*, *Fothergill*.

aut quandoque respirandi negotio. Morbus chronicus marasmo a deficiente nutritione stipatur, et ut plurimum in mortem abit.

Membranacea Angina ad inflammationem laryngis et asperæ arteriæ pertinet. Occurrit tantum ætate infantiæ.

Docuit funerum infantum, tali morbi enectorum, sectio faciem internam asperæ arteriæ et laryngis obduci membranâ tenaci flavescente, quæ ut plurimum induit formam canalis spiralis, et non raro tracheâ est separata. (HOME.)

Chronica dicitur Angina, dum ultra tempus resolutionis perdurat, deficientibus signis suppurationis aut indurationis. Refertur specialiter ad Anginam parotideam et laryngeam. In ultimo casu vocatur non raro phthisis laryngea. Nonnumquam quoque phthisis speciem illam ut comitem habet.

DIVIDITUR MORBUS RATIONE SYMPTOMATICA

In Anginam Scarlatinosam;
——— *Morbillosam;*
——— *Miliarem;*
——— *Variolosam;*
——— *Aphthosam;*
——— *Syphiliticam;*

Angina scarlatinosa quandoque levis et benigna est, quandoque vero pessima, et merito ad malignam referenda (1).

Angina plus minusve constans symptoma efficit in omnibus morbillis; frequens quoque in miliaribus, et non raro cum signis catharri, sive pulmonalis, sive nasalis. Ordinarie benigna in illis morbis animadvertitur.

In omnibus stadiis variolarum contingere potest Angina; ut plurimum in illis affectionibus occupat fauces; ast non raro est parotidea; Magna tunc cum secretione salivæ est stipata, vocatur Angina salivantium variolosa (2).

(1) *Stoll,* dissertat. medic., pag. 21.
(2) Idem.

Aphthæ deprehenduntur frequentissime in ore et in faucibus; inflammatio quandoque tam intensa est, ut deglutitio multum lædatur, ut veram speciem Anginæ inflammatoriæ constituat. Sæpe malignæ sunt aphthæ, et non raro mortem inferunt: et præcipue si febribus adynamicis junguntur.

Nullum symptoma venereum frequentius occurrit, dicit jure merito celeb. Plenck (1) quam maculæ, et ulcera faucium, deglutitionem impedientia. Nascuntur maculæ rubræ, plus minusve latæ, quæ in superficialia ulcuscula sordida abeunt, quorum fundus reperitur lardaceus, eorumque margines coloris sunt cuprei, concomitante voce raucâ et nasali.

Aliquando vera species Anginæ nascitur ab usu mercurii interne assumpti, vel externe applicati; pertinet tunc, ut plurimum ad Anginam tonsillarem, vel ad parotideam.

Plurimæ adhuc animadvertuntur Anginæ symptomaticæ a morbosa quadam conditione oriundæ, tales sunt: exempli gratiâ *Angina Rheumatica,* quæ simul cum rheumatismo existit (2); *Phthisica* (3), quæ in ultimo stadio phthiseos occurrere solet (4); *Hepatica* (5), a vitio hepatis originem sumens: *Gastrica* (6), quæ oritur a nimia bile, vel ab alia irritatione primarum viarum; tum ea, quæ tussim ferinam comitem habet (7), *Podagrica* (8), et aliæ, potius ut causæ, quam veræ complicationes morborum considerandæ.

---

(1) Doctrina de morbis venereis, pag. 105.

(2) *Hufeland*, op. cit., pag. 204.

(3) *Stoll*, op. cit., pag. 34.

(4) Plures auctores Anginam phthisicorum ab aphthosa affectione pendere statuunt, ut Smidt et alii (vide dissert. medic.). *Stoll* asserit contrarium, dicens sectiones cadaverum semper demonstrasse, inflammationem et non aphthas tracheæ aut faucium.

(5) *Sauvages*, Tom. I., pag. 492.

(6) *Hufeland*, opus cit. p. 204.

(7) *Cullen*, Tom. I., pag. 231 op. citat.

(8) Idem.

PROGNOSIS.

Periculum desumitur:

1.° Ex morbi sede: (sic Angina trachealis periculosior est Anginà tonsillari);

2.° Ex signis capitis, systematis circulatorii et pulmonum turbas indicantibus:

3.° Ex charactere dynamico:

4.° Ex molimine criseos:

5.° Conditione ægri et constitutione regnante.

Funestissima, quo ad sedem morbi, est Angina trachealis infantum, ut plurimum subito ægrotulos e medio tollens: quo ætas attamen provectior, eo minus periculosus morbus.

Quod si Angina trachealis ultra septem dies perdurat, si vox et respiratio non multum læduntur, et pulsus perstat normalis; si polyposa membrana per tussim aut vomitum educitur, de salute non desperandum est: e contra, dum extremitates frigescunt, dum convulsionibus afficiatur ægrotans, dumque admodum difficilis sit respiratio; si apparet faciei pallor, et tussis convulsiva; si pulsus debiles, intermittentes evadunt, nihil boni expectandum.

Angina trachealis adultis quandoque etiam funestissima est; et sæpe in phthisim laryngeam transit. Prænuntiant hunc verum statum doloris sensus circa superiorem sterni partem (1), respirandi difficultas inter ambulandum, vocis alteratio, febris hectica, tussis, anxietas, macies, vox stridula; tandem diarrhæa, sudor colliquans, pedum inflatio. Licet aliquando benigna resolutione terminetur.

Ab uvula et tonsilla inflammatis, nisi perverse tractentur, vix lethalitas timenda (2).

Quod si Angina sit pharyngea, et deglutitio valde impediatur, si vox adulteretur, non sine periculo morbus decurrere jure merito censetur.

---

(1) *Capuron*, opus citat. pag. 220.

(2) *Quarin*, opus cit. pag. 154.

Non raro in indurationem transit, ut jam vidimus: quæ funestissima haberi debet sequela.

Per se Angina parotidea periculosa non est: hic tantum sequelæ hujus morbi periculum ponunt. Si subito evanescat morbus, et testiculos, mammas, aut cerebrum graviter afficiat, tunc funestum ponit exitium: in genere, ad leviores hujusmodi morbos pertinet Angina parotidea, imprimis dum sporadica est: dum vero epidemice grassatur, multo periculosius decurrit (1). Non raro in suppurationem transiens, chronica evadit. Induratio, aliquibus in casibus, pessimum istius constituit exitum.

Glossitidea aliquando pessimus est morbus (2), dum intensa est inflammatio. Aegros tum apoplexiâ, tum suffocatione fato cedere, docuit observatio (3). Ast ordinarie levis tantum morbus est, et brevi spatio solvitur, dum respiratio sat libera manet; deglutitio quamvis difficilis, non omnino impeditur; lingua humida manet, morbusque per resolutionem terminatur: quod si aliquando in suppurationem abeat, sat longas post se sequelas trahit.

Angina maligna semper est infausti ominis. Buchner asserit, morbum ordinarie mortalem evadere ultra quatriduum. Inflammationis lata extensio, magnæ plagæ gangrænosæ in ore; febris ardens acutissima, respiratio anhelosa, difficilis: deglutitio impedita; narium rubor; livor; epistaxis passiva, infaustum terminum præsagiunt. Si e contra respiratio sat placida manet, si deglutitio non multum impeditur, nec febris charactere typhi stipetur, si partes, jamjam gangræna affectæ, facile a vivis separantur, et prodiens inde pus bonæ est qualitatis, tunc quandoque æger ad sanitatem restituitur, quamvis convalescentia admodum sit protracta (4).

Non raro morbus ille febre lentâ, diarrhæâ colliquativâ, et marasmo terminatur: quippe ulcerationes causans per totum tubum intestinalem, quibus, diarrhæa accedente, vires collabuntur, ac tandem de ægro conclamatum est (5).

---

(1) *Buchner*, op. cit. pag. 154.
(2) Idem, pag. 235.
(3) *Quarin*, op. cit. pag. 154.
(4) *Buchner*, opus cit. pag. 253.
(5) *Capuron*, opus cit. pag. 152.

In genere, quo plures partes in Angina inflammatoria occupentur, eo gravior erit morbus (1).

Hic et insuper pessimam prognosim faciunt, dum ab impedito sanguinis reditu in jugulares externas vultûs tumor ingens, oculi prominentes, sensuum hebetudo et stertor observatur (2).

Funestissima est Angina, quæ nec in faucibus, nec in cervice quidquam conspicuum exhibet (3).

Si Angina locum habet in ægro, jam ab alio morbo debilitato, malum (4).

Non raro Angina solvitur crisi per epistaxim, per menstrua, hæmorrhoïdes, alvi fluxum, sudores, metastasem, tumores ac rubores ad pectus aut in collo.

Ultimus casus distinguendus est ab Angina scarlatinosa maligna, in qua phænomenum illud cum natura morbi quadrat. Si rubor tamen hìc subito evanescit, malum portendit omen (5).

Prognosis Anginæ scarlatinosæ, miliaris, variolosæ, aphthosæ, syphiliticæ etc. desumitur ex phænomenibus plus minus intensis morborum, e quibus surgit Angina.

INDICATIO CURATIVA.

Ut in Anginæ indicatione curativâ scopus adimpleatur, ad sequentia attendendum :

Amoveantur causæ morbi;
Ratio habeatur partium affectarum;
In naturam morbi inquiratur;
Symptomata quam accuratissime investigentur ac rite æstimentur.
Tandem varii exitus morbi considerentur.

---

(1) *Quarin*, opus cit. pag. 154.
(2) Idem, id. id. pag. 154.
(3) Idem, id. id. pag. 154.
(4) *Buchan*, opus cit. pag. 268.
(5) Coacis prænotionibus, n° 368.

Si Angina mere est inflammatoria, inter omnia remedia excellunt antiphlogistica. Itaque instituendæ sunt venæ sectiones, ratione gravitatis morbi, ætatis subjecti, febris concomitantis repetendæ, etc. tum in brachio, pede, venâ jugulari, nec non, ut hinc inde commendatum est, et in Venis raninis. Regimen antiphlogisticum omnino postulant alterationes nobiliorum organorum, et præsertim status cerebri et pulmonum.

Quod si sopor apoplecticus, sensuumque hebetudo accedant, si respiratio summe difficilis evadit, depletiones larga manu sunt instituendæ.

Hirudines pone aures et collum, generalibus venæ sectionibus anteponi debent, dum localia tantum sunt symptomata, et solummodo ad Anginam spectantia.

Si glossitidea, uvularis aut tonsillaris sit Angina, magno cum successu adhibentur scarificationes in parte inflammata: (1) sæpe morbus omnibus aliis remediis rebellis, ope hujus methodi efficaciter debellatur.

Vapor aquæ calidæ, additâ modicâ aceti quantitate, aut infusio plantarum emollientium inspiretur: leniente tepidoque gargarismate utendum est, ut siccitati oris medeatur (2): collum emolliente cataplasmate tegi oportet (3); hauriendi sunt potus emollientes laxantes.

Derivantia tentanda sunt: idcirco alvus ducenda per enemata leniora, eccoprotica, ut sunt: salia neutra, manna, tamarindi, cassia, etc.: fortioribusque utendum, dum scopo derivante ea remedia in usum vocamus (4).

Stimuletur cutis ope balnei tepidi, sive generalis, sive per pediluvia: frictiones irritantes instituantur ope spiritus salis ammoniaci, cum ad collum tunc ad pectus. *Pringle* (5) externe oleum cum spiritu cornu cervi applicandum præcipit. Sinapismi, cucurbitæ (6), vesicantia cervici, sub mento et circa fauces admoveantur.

---

(1) *Hufeland*, op. cit., pag. 206. *Quarin*, op. cit., pag. 157. *Buchner*, op. cit., pag. 241.
(2) Idem, op. cit., pag. 216.
(3) *Quarin*, op. cit., pag. 155.
(4) Idem, pag. 157.
(5) Observ. on the diseas. of the army, pag. 142.
(6) *Celsus*, de medicina, pag. 210.

Revulsiva hæc præsidia ab ipso exordio morbi invasionis indicantur. 1° Si levis tantum morbus est, 2° si e contra graviora requiruntur, post prius factas depletiones. Gargarismata leviter adstringentia non raro conducunt in fine morbi; initio potius irritationem augere solent.

Alia est indicatio, si rem habemus cum Angina tracheali infantum. Omnes stimuli a larynge detorqueantur, humorumque cursus ad partes vicinas aut remotas derivetur per antiphlogistica et derivantia :

Indicatio jubet, ut pseudo-membrana e fistula aërifera expellatur per emetica. Celeb. Cullen (1) usum horum remediorum tunc admodum laudat, et asserit in Scotiæ quadam plaga morbum quasi endemicum esse, et ibi illum fere semper debilitatum fuisse, dum tempestive vomitus excitabatur. Chaussier (2) ab initio morbi vomitum ciet, et refert se plurimos habuisse, diro hoc morho affectos tractandos, quos tartarus emeticus repetitis vicibus adhibitus sanitati restituerit: *Aussitôt, fait, que le croup se manifeste, je fais prendre un émétique, et le tartre stibié est préférable à tout autre vomitif. Le lendemain si les accidens ne sont pas diminués, si les accès de toux sont aussi fréquens, aussi violens, si l'on remarque le même sifflement dans la poitrine, la même gène dans la respiration, je prescris un second vomitif. Plusieurs fois j'ai fait prendre un troisième vomitif, lorsque vingt-quatre heures, après le second, les accidens persistaient avec la même intensité.*

Triplici scopo emetica in illo morbo salutares effectus præstare videntur. 1° Pseudo-membranæ vias aëriferas occlusuræ generationem impediendo, vel jam generatam expellendo. 2° Sudoribus promovendis. 3° Spasmum glottidis solvendo.

Ultima hæc indicatio omnem meretur attentionem. Nonnullis in casibus infantes suffocatos periisse dicunt, non ob occlusionem Asperæ Arteriæ, ibi novâ membranâ inductâ, sed vero, ut exempla ferunt, spasmo laryngis ex nimiâ nonnumquam sensibilitate subjecti oriundo. In hunc

---

(1) Tom. I. pag. 240.

(2) Contrepoisons, etc. pag. 177.

scopum opium (1), hyosciamus, assa fœtida, ætherea (2) et similia hoc ultimo morbi stadio sæpe non sine maximo fructu in usum vocantur.

Depletionibus institutis, epispastica, sinapismi, frictiones cum tartaro emetico in regione faucium aut laryngis præstantissima hìc sunt remedia.

Quid de sulphureto potassæ dicendum sit, practicis relinquimus.

Indesperato casu bronchotomiam tentandam esse celeb. *Home* præcipit: ast, si non periculosa, tamen anceps nobis videtur hæc operatio, cum numquam certi sumus de sede morbi. (Richter.)

Laudat Hufeland (3) in Anginâ tracheali sternutatoria.

Cura Anginæ parotidæ simplicis inflammatoriæ differt ab aliis hujus morbi generibus in eo, quod antiphlogistica numquam eâ nec copiâ nec tali intensitate adhibeantur, quam in cæteris Anginis: leviora sudorifica, laxantia, frictiones cum spiritu vini camphorati, spiritu salis ammoniaci circum collum institutæ, ordinarie sufficiunt ad debellandum morbum brevissimo spatio. Applicatione sanguisugarum in loco inflammato non raro inflammatio illa intensior redditur. Si gravis oboritur metastasis ad cerebrum, mammas aut ad testiculos, stimulantia validiora ad glandulam primitive affectam apponenda sunt. Quocirca Hamilton (4) laudat vesicantia.

Quoad Anginam malignam, in tonicis stimulantibus, adstringentibus, sola spes est quærenda: rarissime hìc depletiones conveniunt: quod si tamen indicantur, fere semper generalibus antiponendæ sunt depletiones locales.

Gargarismata adstringentia ex acido vitriolico, vino rubro, alumine, camphora, aqua calcis (5): interne (6) decoctum corticis peruviani, infusum serpentariæ cum camphorâ, ætherea, moschus, castor indicantur. Quandoque, inchoante morbo, vomitorium (7), ut totum corpus concutiatur, et

---

(1) *Hufeland*, op. cit., pag. 214.
(2) Milliar. op. cit.
(3) Idem, pag. 117.
(4) *Capuron*, pag. 152.
(5) *Hufeland*, op. cit., pag. 210.
(6) *Starck*, *Cullen*, *Hufeland*, *Huxham*, etc.
(7) *Capuron*, opus cit., pag. 152.

proprietates vitales modificentur, convenit. Revulsiva, ut vesicatoria ad collum, ad brachia et indicationes curativas hìc adimplent.

Quod si suppuratoria sit Angina (1), ultra quam necesse est æger non debilitandus; sed non diæta vegetabili, blandâ, modice nutriente vires sustentandæ, et suppuratio emollientibus, laxantibus, tepidis interne externeque adhibitis, promovenda; si difficilem reddat abscessus respirationem, aut deglutitionem, aperiendus, si possibile est, pharyngotomo (2).

Si scirrhosæ Anginæ valde difficilis est cura, varia resolventia in usum vocantur, ut taraxicum, cicuta, gummata ferulacea, sapo, etc.

Ast ordinarie nullum exsurgit ab usu horum remediorum levamen. Sola spes aliquando in exstirpatione schirri residet, admissâ operationis possibilitate. Quod si fieri non possit, caustica, ope penicilli, per canulam cavam immissi, applicanda sunt, ut sic tumor auferatur.

Dum chronica est Angina, præcipue ad causam morbi venit attendendum; sic non raro oritur a suppressione cujusdam morbi cutanei, a syphilitide, herpete, etc.

Cura in illis casibus ex genio morbi primitivi eruitur.

In genere, ægro, qui deglutire non valet, clysmata ex lacte vel jure carnium, ut nutritio inde promoveatur, injicienda sunt.

Qualis sit species Anginæ, in convalescentia oportet adhibere leviora tonica atque stiptica.

Qui sæpuis Anginâ laborant, caveant a frigido aëre, collum maxime noctu tegant; ea, quæ humorum motum augent, et ad fauces determinant, evitent, ut spirituosa, vociferationem, cantum, etc.

Imprimatur,
J. L. KESTELOOT,
Med. Prof. ord. h. t. Fac. Decanus.

---

(1) *Stoll*, opus cit. pag. 8.
(2) *Hufeland*, op. cit. pag. 217.
(3) *Stoll*, opus cit. pag. 11.

THESES MEDICÆ.

I.

Omnis inflammatio non curatur debilitantibus.

II.

Urinam renibus secerni, et non alia via, quam per uretheres, ad vesicam urinariam deferri contendimus.

III.

Ab Anginâ detento tumorem fieri in collo, bonum: foras enim morbus vertitur. (Hipp. sect. VI Aph. 37.)

IV.

Gonorrhœa et leucorrhœa difficile a se invicem distinguuntur, quum chronicæ sunt.

V.

In autumno morbi acutissimi et perniciosissimi omnino: ver autem saluberrimum et minime exitiale. (Hipp. sect. III Aph. 9.)

VI.

Putamus hominem naturâ suâ esse omnivorum.

VII.

Bilem ex sanguine venæ portarum secerni defendimus.

VIII.

Natura febris neque in motu sanguinis accelerato, neque in calore aucto, neque in sola cordis et vasorum irritabilitate, quærenda.

GANDÆ, TYPIS *P. F. DE GOESIN-VERHAEGHE*, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI,
VIA HOOGPOORTE N° 37.
1824.